



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Luxuria in veterata vix corrigibilis. N. 1. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & alijs. N. 2. Luxuriosus dicit: non possum. N. 3. Luxuria durat in mortem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

descendunt in lacum. Et alibi vocat libidinis ignem, aeterni ignis æmulum. Rupertus in Gen. quare non qualemunque ignem, sed ignem pluit sulphureum? quia talem carnis foetorem miserunt in cælum; rectè de cælo foetorem ignem, vel ignem foetidum, receperunt. Cælum, voluptatum omnium emporium, odit semper, & punit, voluptatis foedæ amatores, igne, & aquâ in diluvio. Vide Cornelium à Lap. in Prov. 30. 16.

Sanguisuga dua sunt filia dicentes, asser, asser. Prov. 30. 15. V. Beda l. 3. in Prov. & Salonijs, has duas diaboli filias, avaritiam, & luxuriam, exponunt; quæ nunquam satiantur, quæ semper volunt. Octavianus in Eccl. 9.

Ignis nunquam dicit: sufficit. Prov. 30. 16. Luxuria, juxta S. Petrum 2. 2. 14. *incessabile delictum*: quia cujus animam semel occupavit amor veneris; ita eò, velut igne, accenditur; ut eum restinguere nequeat: Cornelius in ep. S. Petri secundam hic.

Homini fornicario omnis panis dulcis; non satigabitur transgrediens usque ad finem. Eccl. 23. 24. usque ad finem scilicet vitæ. Tigurina: *donec intereat.* Cornelius hic.

Fornicati sunt, & non cessaverunt. Of. 4. 10. *Compuruerunt jumenta in stercore suo* Joël. 1. 17. id est, vitam finierunt bruti, & immundi, homines in peccato suo. Sancti Rupertus de operibus Spiritus Sancti hic.

Ex Novo, & Patribus.

Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14. 2. Per hydropicum etiam significantur luxuriosi: quia sicut hydropicus, quantò plus bibit, tantò plus fitit: ita qui se luxuriæ immergit, amplius eam appetit. Hugo Card. hic. Hydrops morbus ab aquoso humore vocabulum trahit. Proprium est hydropici; quantò magis abundat humore inordinatò, tantò magis fitire. Et ideo comparatur ei; quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat. V. Beda hic.

Cupiebat implere ventrem suum de siliquis. Luc. 15. 16. S. Chrysostomus: siliquæ sunt carnalium desideriorum illecebræ. Quare cupiebat saturari siliquis? quia porcus effectus affectu libidinis congruum sibi alimentum desiderabat. Escobar t. 6. Par. Chr. hic Obf. 4.

Vaterra, & mari. Apoc. 12. 12. Per terram avari, per mare luxuriosi intelliguntur, ad quos principaliter venit diabolus, quia plures per hæc vitia seducit. Unde Luc. 8. 33. *dæmones in porcos, & mare.* Hugo Card. in c. 9. Jos.

Laboriosa prorsus, & ad superandum difficilis, est carnis illecebra: nunquam superata quiescit, semper floret, semper viget, semper suâ importunitate decertat: serpit continuò ut cancer, sævit ut ignis, rugit ut leo, tumet ut coluber, insidiatur ut latro, cæno voluta-

Polyanib. Sacr. Tom. I.

tur ut aper, sat nunquam dicit, ut Infernus. Sancti Laurentius Just. opusc. de inter. confl. c. 3.

Asbestus lapis, ubi ignem conceperit, nunquam solet deflagrare, Plinius l. 37. c. 20. Lem. *semper ardet.*

§. III.

Luxuria in veterata vix corrigibilis.

Num. I.

Ex Veteri.

Finis universe carnis venit coram me, & ego disperdam eos cum terra. Gen. 6. 13. Rupertus hic: audit Noë vir justus, atque perfectus; & tacet, nullamque precem pro injustis offert, ut DEUM teneat, & iram suspendat, Moyses fit supplex pro idololatra populo. Ex. 32. 31. *aut dimitte eis hanc noxam &c.* Cur hic orat, non ille? causam facer textus indicat: *omnis caro corrumpat viam suam.* Didacus Nisi. f. 6. D. 3. Quadr. §. 7.

Corvus egrediebatur, & non revertebatur. Gen. 8. 7. id est, luxuria. Hugo Card. hic.

Veneruntque duo angeli Sodomam. Gen. 19. 1. Nota ex Joanne Climaco 1. gr. scilicet; ad omnes Hebræos ex Ægypto liberandos unum Moysen sat fuisse; ad liberandum verb de Sodomis unum Loth necessarios fuisse duos angelos: quia Hebræi significabant peccatores solâ mente corruptos; Loth autem peccatores etiam corpore putrefactos. Mendoza in 1. Reg. 5. v. 6.

A puero usque ad senem. Gen. 19. 4. Cum de excidio Sodomorum multa prædixissent angeli Loth, ipse omnino tacet, non orat; sed privato tantum bono consulit. Sed Abraham multum precatus Gen. 18. 23. &c. Causam reddit. S. Chrysost. hom. 25. in 1. Cor. quia Loth, qui præsens aderat, noverat immedicabile esse malum urbis, nec DEUM ullis precibus flectendum. Sed unde Loth hoc novit? *a puero usque ad senem*: libido omnes, etiam senes, tenebat. S. Chrysost. hom. 7. in ep. Hebr. ad Pl. 24. 7. *delicta juventutis meæ &c.* Iste potest quidem dicere, delicta juventutis &c., qui in senectute poenitentiam fecit, qui procedente ætate mutatur: si autem in senectute eandem turpitudinem committit; quomodo hujusmodi dignus est senex appellari, qui neque ætati reverentiam exhibet. Pinna Ethol. 103.

Dixitque Moyses ad Judices Israel: occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Num. 25. 5. Audita mortis sententia quid egisse putatis impudicitiam? palluit? ingemuit? ejulavit? inducias petiit, ut scelus expiare possit &c. Scilicet! audite, & stupete! *Ei ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis &c. v. 6. vidente Moysè, & omni turba filiorum Israel; qui stebant ante fores tabernaculi.* O impudentiam immanem, ô flagitium vix gehennæ suppliciiis omnibus plectendum!

Q99 99

6 mar

in mare impuritatis sine litore! in cupiditatem nesciam finiri, cum vita finitur. Oliva t. 2. Strom. 6. Miserere mei Deus. Salomonis lapsum scimus, poenitentiam nescimus. Id. ib.

Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur. Prov. 2. 19.

Fovea profunda os aliena. Prov. 22. 14. Qui verba, vel oscula, meretricis libenter amplectitur, quasi januam jam gehennalis pulsat abyssi; citoque mergetur, si pedem cautus non retrahat. V. Beda hic. Ne dedas cor insipienti meretrici: si enim ei illud dederis, absorbebitur velut in fovea profundissima; ex qua id extrahere erit difficile, & ferè impossibile. Cornelius hic.

Et ecce mulieres ibi sedebant plangentes Adonidem. Ezech. 8. 14. Quid est, mulieres in planctu Adonidis sedere? nisi effeminatas animas in consuetudine peccati computruisse. S. Rupertus hic. *In cathedra pestilentia non sedis.*

Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur - quia spiritus fornicationum in medio eorum. Ol. 5. 4.

Ex Novo.

Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Matth. 8. 31. Cum plura demonia ab obsessis corporibus depulerit Dominus, nulla tamen unquam, præter hæc, mitti in porcos rogârunt. Causam petit S. Chrysologus l. 16. ex verbis Evangelii; *de monumentis exeuntes.* Scilicet demones hi inter putrida cadavera morabantur. Assveti ergo putredini cœnum adamabant: unde potius mitti in porcos, quam in alia munda animalia, petebant: facili enim ab uno foetore, & cœno, in similia pertrahuntur. Sic peccato uni assveti facili in alia labuntur. Pinna Ethol. 45.

Ubiunque predicatum fuerit hoc Evangelium in toto Mundo, dicetur & quod hæc fecit. Matth. 26. 13. Quasi prodigium fuerit dignum, quod toto orbe prædicetur: nempe quod foemina libidini assveta respuerit, castitatem amârit, pietatem coluerit. Alvarez Illustr. 100.

Lacrymis cepit rigare pedes. Luc. 7. 38. Quam acerbus morbus sit luxuria ex medicinæ præstantia conjice. Parabili pharmacô cætera vitia curata; sed quanto labore, & impendio, impudicitia facta medicina? Publicanô quid sceleratius? viduas opprimit, pauperes torquet, divites spoliât; tot tamen, tanæque, piacula delicatè, festiveque, inter epulas expiantur. Vocatur à telonio Matthæus 9. 9. 10. Jesum convivio excipit. Statimque ab usuris, ac rapinis, ad evulgandum Evangelium destinatur; ex Publicano repente Apostolus. Non ita lene medicamentum sortita est vulnere suo peccatrix: irrumpt amore faucia in domum Pharisei nobilis foemina; non epulatura, sed ploratura: non accumbit, sed procumbit: non calices haurit; sed alabastrum exhaurit: non bibit; sed gemit: non jocatur; sed rugit. Effundit unguentum, lacrymas, spargit comam, osculatur pedes, con-

vivantium disteria patitur; opum, famæ, ruboris prodiga. Quid officiorum omisit pietissima poenitentia hostia? Nihilominus, post vicissimas laborum, & cordis; post lacrymas, & unguenta; amasse quidem dicitur; dimittitur: *vade in pace*; Matthæo autem: *sequere me.* Petrus negat Christum, pejerat, & respicitur: vix plorat, & princeps Ecclesiæ constituitur; ex transfuga fidei celorum claviger. Lætro scelera, quibus crucem meritis, blasphemis cumulat; nihilominus vix memorem sui esse Christum cupit; & regni hæres instituitur. Thomas incredulus ream dexteram non aliò recludi ergastulô jussus quàm amoris ærariô; pro carcere lateris Domini sortitur domicilium. Multi peccârunt; sed nemo difficilius, quàm peccatrix, curatur. Oliva t. 2. Strom. hic.

Ecce mulier in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Sanavit Christus miraculô servum Centurionis. Luc. 7. 10. atque, ut divinæ Bonitatis proprium est, gratias priores posteroribus superare; sic Dominus ab illo famulo curato transivit in Naim ad resuscitandum defunctum filium unicum mœlissima matris viduæ. Luc. 7. 11. *Et factum est; deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim.* q. d. à gradu inferiore perrexit ad gradum altiorem, ad prodigium defuncti ad vitam revocati, cui cum dixisset v. 14. *adulescens tibi dico surge, statim resedit, qui erat mortuus.* Hic jam videbatur Dominus in supremum miraculorum apicem ascendisse. Sed altius reliquum erat. Subjicit enim S. Lucas: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* q. d. oppidò grandius vobis miraculum narrabo. Quodnam illud? conversionem referam mulieris lascivæ; quæ animò toto compuncta, & lacrymabunda, currit ad pedes Salvatoris. Insinuat Lucas: tam ingens miraculum esse conversionem hominis libidinoli; ut minus putari possit, curâsse agrum desperatum; & in vitam revocâsse mortuum; quàm ad castitatem reduxisse carnalem. Didacus Niss. vit. Abr. l. 2. 5. Cum cætera vitia quidam sint carceres carnis lascivia infernus est. Cernens in mensa Dominum, non quasi vitæ, sicut Chananæa micæ; sed ipsum panem vitæ complexata est. Chananæa enim pro filia à demonio vexata interpellat; hæc verò non filiam à demonio vexatam habebat; sed totum corpus lasciviæ demoniacæ deditum. S. Chrysost. serm. in Peccatricem, & Phariseum. Ad eò multò auxiliò opus ad spiritum luxuriæ abigendum, & castitatem stabilendam! curtorus quasi DEUS necessarius videbatur. Sylveira hic q. 16.

Revertar in domum meam. Luc. 11. 24. Proh. quanta adhibenda custodia, etiam post vitia profligata! En ab immundo spiritu domus sua dicitur, unde exulat! adeò difficile pellitur luxuria, si semel ossibus hæserit. Nullum scelus tenax adeò est semel occupati cordis: quia exterminata libido domum vocat suam, unde profugit. Oliva l. 13. Strom. hic.

Invot.

Invenit eam scopis mundatam, & ornatam. Jb. 25. Miror, quomodo mundatam domum invadat iterum immundus spiritus. Fortè non relecta domus hæc fuerat; sed ad ostentationem, hypocritis consilio, purgata scopis, faciliorem hosti præbuit regressum. Etenim scopis felicius usus esset in expiationem cordis, corporisque supplicium, quam in ornatu domus infelix voluptuarius. Sed famæ, quam poenitentiae studiosior, dum totus occupatur in externo cultu, domus ejus occupatur. Idem ibidem.

Reliquis ergo hydiam suam. Joan. 4. 28. Post longum colloquium convertitur Samaritana ad DEUM; qui solet alios peccatores unico verbo adducere. Unde colligo, quam difficile prava circa delicias consuetudo superetur. Matth. 4. 19. 20. *venite post me &c.* *Ut illi continuo &c.* Zachæum convertit paucis verbis Luc. 19. 5. *Zachæus festinans descende.* S. Chrysost. hom. de Samaritana: Samaritanæ certamina hodie nobis Christus promulgavit. *Accingere gladio tuo super femur potentissime.* Pl. 44. 4. Escobar t. 3. Coll. Chr. hic Obf. 3.

Mulier da mihi bibere. Joan. 4. 7. ad impudicam unam foeminam convertendam Dei virtus defatigatur. Quam facile alia crimina donantur sanitate! Paralytico quasi per transennam dicit: *jam noli peccare.* Joan. 5. 14. Matthæo Publicano: *sequere me.* Matth. 9. ait, ut unam pellicem convertat, Dei virtus fatigatur. Id. hic Obf. 8.

Mulier crede mihi. Joan. 4. 21. Samaritanæ certamina Christus nobis hodie promulgavit. S. Chrysost. hom. de Samarit. Nota, quam operosum, & arduum, negotium sit hominis libidinosi conversio; quando mulieris hujus conversio conflictus Dei vocatur. Didac. Niss. l. 6. D. 3. Quadr. §. 7.

Fide Rachab meretrix non periit cum incredulis. Hebr. 11. 31. Refert Dei miracula ab orbe condito Paulus, & post longum catalogum, augustiorem perficiens ascensum, ait: *fide Rachab &c.* Quale hoc miraculum, non periisse eam cum incredulis, si jam ab eorum cœtu recefferat? Ingens miraculum est, meretricem pravâ consuetudine affectam non periisse. Theodoretus: ut Apostolus fidei ostenderet potentiam; hæc, quæ in pudicæ magnam vitæ, partem transegerat, salutem, ait, est consecuta. Escobar l. 5. Proph. Chr. f. 2. Obf. 1.

Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti. 2. Petri 2. 14.

Dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret. Apoc. 2. 21. S. Ambros. in c. 4. Luc. quasi clavis affigitur anima corporeis voluptatibus, cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis: difficile potest in altum, unde descendit, se revolvere.

Non vult poenitere à fornicatione sua. ib. Multorum criminum hæc mulier rea erat: nam se Propheten fingeat, falsâ docebat v. 20. alios seducebat, ad carnes idolis immolatas pro-

Polyanth. Sacr. Tam. I.

vocabat &c. Et tamen non dicitur, quod de his noluit poenitere; sed solum de fornicatione: quia hæc est radix omnium scelerum difficillima ad evellendum. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Infernum, & amorem mulieris, rectè conjungit scriptura. Inferni ignem tenebit domus meretricis. S. Augustinus l. 107. de temp. expendens illud Prov. 30. 16. *Infernus &c.* Pro inferis ponitur domus meretricis: quia neminem repellit, omnem intrantem ad se trahit.

Vidi ego quosdam juvenes in carnis affectus facili ruentes, & usque ad mortem in vitii consuetudine durantes. S. Basilus in Pl. 1.

Non est possibile; ut non redamet, qui amatur. S. Chrysost. hom. 58. in Gen.

Cum semel à malitia fuerint occupati juvenes, quasi in captivitatem essent abducti, quoquò diabolus jusserit, eunt. Consuetudo enim malitiæ processu temporis invalescens, tantum facit malum, ut postea non possit aliquâ vinci admonitione. Id. hom. 59.

S. Cyprianus lib. de bono pudic. vocat lasciviam, matrem impenitentiae.

S. Gregorius Niss. or. 4. de orat. Dom. voluptatem comparat serpenti, cujus ingressus, ob squamarum lubricitatem, facilis; sed difficulter extrahitur, ob squammas in contrarium resistentes. Si igitur fugis bestiae contubernium, atque cohabitationem; cave caput, hoc est, primum mali impetum, & incursum: ad hoc enim pertinet præcepti Domini ænigma Gen. 3. 15. ipse observabit calcaneum tuum, & tu observabis caput ejus.

Calor iste desiderii carnalis, fervorque libidinis temporalis, æternum gehennæ ignem, & ultimum flammaram æterna promulgavit incendia. S. Paulinus ep. 11. de duob. senib. judic. libidinosis.

Valete adulteri, valete detestabiles impii: vos flamma expectati æterna, vos vexandæ Tartarorum jam fauces excipiunt; vos interarum fornacum claustra in æternum jam coercent, ustulant, excruciant. Detruduntur illic valedicentes rerum naturæ; ultra nesciuntur à DEO, qui DEUM scire noluerunt. Sanct. Zeno serm. super attende tibi. Tob. 4. 13.

Majus miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis. S. Laurent. Just. de continentia c. 2.

Dum homo nimis delectationibus carnalibus detinetur, non curat delectationes spirituales, quæ propriè ad gaudia facturi sæculi pertinent, & disponunt, pervenire; imò eas fastidit, & quodammodo desperat. Gerson de 7. vit. capit.

Concupiscentia carnis limus est, id est, lutum viscosum: quem enim arripit, quasi inseparabiliter sibi agglutinat. Inde est, quod caro nostra potius dicta est facta de limo, quam

Q99 99 2

quàm

quàm ex terra, vel luto: ut in hoc fervens ipsius glutinum insinquaretur. Blesensis f. 26. in festo S. Petri ad vincula.

Luxuria maximum reprobationis signum. I. quia maximè discedit ab ultimo fine: maximè enim trahit ad sensibilia, & retrahit à puro, & summo, intelligibili, quod est Deus. II. tota prædestinatio fit per conformitatem ad Christum. Rom. 8. 29. *quos præstavit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filij sui.* CHRISTUS crucem dilexit, luxuriosus carnem. Jacobus Pintus de Chr. Crucif. l. 4. t. I.

Num. II.

Luxuriosus dicit: non possum.

Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Luc. 14. 20. S. Greg. hom. 36. in Evang. quid per uxorem, nisi carnis voluptas accipitur? Ingentem difficultatem ostendit veniendi ad cœnam magnam. Non rogat iste, sed impotentiam veniendi pro ratione affert: quia animus carnalibus delectationibus deditus tam est rationi alienus; ut non roget rationem sui haberi; omnino elongatur à spiritualibus. Cajetanus hic.

Juvenis eò prolapsus spurcæ libidinis consuetudine, ut omnem sui emendationem desperaret. Principijs non oblitit, cum posset. Vivebant adhuc in illo quædam scintillæ pietatis, quas ille tamen sopivit, & extinxit. Conscientiæ vulnera patefecit sæpius; sed ad pristina iterum relapsus nullum seriæ poenitentiae dedit specimen. Quem Sacerdos demum officij Christiani commonens: mi fili, ait, hæc in confessione sæpius exposuisti, & unâ emendationem proposuisti; sed nulla sequitur. Ego te tandem, quod officij mei est, noxis absolvere non potero, nisi pedem revoces. At juvenis solutus in lacrymas: quid Pater te diutius, inquit, vanis promissis fallam, & promittam, quæ præsturus sum nunquam. Ut scias, ea vis est tentationis; ut si hinc hiantes inferos, & totos diabolorum exercitus in me ruituros, cernam; illic assueti criminis occasionem videam; me sanè cohibebiturus non sim, quò minus ad objectas voluptates ruam; etiam si certò sciam, à diabolis ad inferos rapiendum. Doleo, sed vetitis abstinere non possum. Drexelius Palæstr. Chr. p. 3. c. 9. §. 2. Ex speculo Exempl.

Num. III.

Luxuria durat in mortem.

Quæres: an Salomon sit damnatus? an falsatus? Damnatum censent Tertull., Cyprian., August., Chrysostr., Beda, Raban, Isidor., Lyran., Abulens. &c. quia amor ardens foeminarum, longâ consuetudine roboratus, penè est insuperabilis. Huc facit: quod ante paucos annos in Italia uni è nostra Societate contigit. Vocabatur ille, ut concubinario cuidam in morte adesset: adfuit ille; & totis viribus eum ad poenitentiam hortatus, ut amoribus illicitis valediceret; nunc blandiendo; nunc minando instans Dei

Judicium, & gehennam. Sed & concubina flens rogabat eum, ut poeniteret, & moriendo animæ suæ consulere. Omnia frustra: ille enim dixit; se nec velle, nec posse, amicam tam diu dilectam abdicare. Quare impoenitens mortuus. Corn. in 3. Reg. 11. 13.

§. IV.

Propter luxuriam multi damnantur.

Filij hominum, usquequò gravi corde? P. 4. 3. Nihil facit cor adeò grave, ut libido; & ad ea, quæ ad hanc vitam pertinent, affectio; & terræ affixum esse. Non erravit, qui cor luteum appellaverit. Et ideo id grave vocavit; & id dixit esse causam malorum: quòd, cum aurigæ locum teneat, non solum equum non cohibeat, sed etiam cum eo trahente deorsum precipitet. Nè faciamus ergo cor grave: nè, quemadmodum navigia, quæ nimium habent laboræ, demergatur. Sæc. Chrysostr. hic.

Miserere mei Domine! vide humilitatem meam de inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis. Psalm. 9. 14. 15. Non agit de alia morte, quàm æterna; de alijs inimicis, quàm vitij, & hostibus animæ; ut notat Bellarminus. Ergo humilitatem suam vocat ad ultimum: hoc ejus abjectio, & depressio. Quid enim magis hominem, Dei imaginem, Angelis supparem, humiliat, & confundit, quàm incontinentia? Vocat etiam David portas mortis: quia luxuria plures portas Inferni habet; ob species varias hujus vitij: vel quia innumeri peccatores ob illud damnantur. Fernandus in Gen. 3. Sect. 18.

Pedes ejus descendunt in mortem; & ad inferos gressus lilius penetrant. Prov. 5. 5. Pro penetrant. Hebr. est: *sustinentur*, fulciant, roborabunt infernum; sicut sustentatur paries fulcrò, nè cadat: quia scilicet major pars hominum damnatur propter libidinem. q. d. vacuaretur, & quasi caderet Infernus, nisi libidinosi eum impleverint, & sustentarent. Cornelius hic.

Lata porta, & spatiosa via est. Matth. 7. 13. est, in desiderijs carnis ambulare, per vitiorum abrupta incedere, Mundi vanitatibus inhaerere, sinè timore peccare. Dionys. Carthus. hic.

Statues oves quidem à dextris, lupos autem à sinistris. Matth. 25. 33. Cur omnem damnatorum colluviem sub hædorum figura descripsit? cur non leones tygrides &c. vocavit? Non aliam ob causam, quàm ut innuat, ferè omnes damnari ob libidinem: est enim hoc animal Symbolum libidinis. Pestis hoc vitium comparat S. Greg. 1. 6. c. 2. in lib. Reg. quæ plurimos, & ubivis, facillimè inficit. Pinna Ethol. 4.

